



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis, Commentariorum Libri LVIII

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Horapollinis Niliaci Sacræ Sculpturæ, Quas Ipse Quidem Ægyptio Sermone
Prodidit, Philippus Vero Lingua Græca Donavit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

2.
HORAPOLLINIS NILIACI SACRÆ
SCULPTURÆ, QUAS IPSE QUIDEM ÆGY-
PTIO SERMONE PRŌDIDIT, PHILIPPUS VERO
LINGUA GRÆCA DONAVIT.

1. *Quo pacto ævum significant?*

Ægyptum innuentes, Solem ac Lunam pingunt, quod hæc æterna sint, æviq̄ue fluxum pro-
ducentia elementa. Quin & aliter ævum pictura exprimere volentes, serpentem
pingunt, cujus cauda reliquo involvatur ac tegatur corpore. Hunc Ægyptii quidem
lingua sua Uraum, Græci verò Basiliscum appellant. Eundem ex auro constatum
diis circumponunt. Cæterum hoc animali ævum significari propterea Ægyptii di-
cunt, quod cum tria sint serpentium genera, solum hoc ex omnibus immortale est, cætera
mortalia: utpote cum quodvis aliud animal solo afflatu absque ullo morsu serpens hic interi-
mat. Unde & quoniam vitæ necisque potestatem habere videtur, meritò sanè deorum capiti-
bus inseritur.

2. *Quo pacto mundum?*

Mundum exprimere volentes, serpentem pingunt, qui suam ipsius caudam rodit, variis in-
terfinitum squamis: per squamas quidem stellas, quibus cælum mundusve distinctus
est, obscurè innuentes. Cæterum hoc animans non secus ac terra gravissimum est, levissimum
autem ac maximè lubricum, in aquæ morem. Insuper ut serpens quotannis pelle simulque senio
exiit: sic & annus vertens qui mundi circumactu producit, immutatione facta renovatur,
ac velut rejuvenescit. Quod verò velut cibo, suo utatur corpore, significat id, quæcumque
Dei providentia in mundo gignuntur, ea rursus in eundem resolvi, & tanquam imminutionem
sumere.

3. *Quo modo annum?*

Porro annum demonstrare volentes, Isin, hoc est mulierem pingunt: quo etiam signo deam
significant. Est autem apud eos Isis sidus, quod Ægyptio quidem nomine Sothis, Græco vero
Astrocyon dicitur, qui & inter reliqua sidera principatum obtinere videtur: ut qui dum oritur,
nunc major sit, nunc minor, interim splendidior, interim verò secus. Insuper & quoniam in lu-
jusæ sideris exortu, ea signis quibusdam observamus, quæ toto anno peragenda sunt: propterea
non abs re annum Isin appellant. Aliter quoque annum indicantes, palmam pingunt, quod ar-
bor hæc sola ex omnibus ad singulos Lunæ ortus singulos etiam ramos procreet, ita ut duodecim
ramorum productione annus expleatur.

4. *Quo modo mensem?*

Mensem autem notantes, ramum pingunt, aut Lunam deorsum conversam. Ramum quidem,
ob causam jam in palma dictam. Lunam verò deorsum vergentem, quod in ortu quidem, ut
inquiunt, quindecim ei partes supersint, ut rursus erectis cornibus appareat: At in occatu, trigin-
ta diebus completis, cornua deorsum inflexa gerat.

5. *Quo modo instantem annum?*

Istantem annum significantes, quartam arvi partem pingunt. Est autem *ἀρῆρα*, unde Latinis
Arvum dicitur, terræ mensura centum complectens cubitos. Itaque annum volentes dicere, quart-
tum dicunt, propterea quod ab uno, ut tradunt, sideris cui Sothis nomen fecimus, ortu, ad alterum
quarta sit interjecta diei pars. Enimvero diei Solis inquam annus trecentis sexaginta quinque die-
bus absolvitur: unde & quarto quoque anno supervacuum diem computant atque intercalant.
Ægyptii. Quatuor siquidem diei quadrantes diem perficiunt.

6. Quid accipitrem pingentes, innuunt?

Deum cum volunt significare, aut sublimitatem, aut humilitatem, aut præstantiam, aut sanguinem, aut victoriam: accipitrem pingunt. Deum quidem, tum quod fecundum sit ac diurnæ vitæ hoc animal, tum etiam quod Solis præter cæteras volucres simulachrum esse videatur, utpote peculiari quadam atque occulta naturæ vi, intentissimis in ejus radios oculis prospiciens. Atque hinc est, quod medici ad sananda oculorum vitia, hieraceo herba utuntur. Inde etiam fit, ut Solem interdum tanquam visus tutorem ac dominum, accipitris forma pingant. Sublimitatem verò, quoniam cum cætera quidem animantia, quoties in sublime tolli volunt, oblique ferantur, nec recta sursum evehi possint; solus accipiter recta in altum volat. Humilitatem porrò seu dejectionem, quod eadem ratione cæteræ animantes non perpendiculi modo, sed velut extraverso & flexosè deorsum ferantur, solus accipiter directo ad inferiora viam carpat. Præstantiam, quòd cæteris præstare videatur avibus. Sanguinem, quia animal hoc inquit, non aquam sed sanguinem bibere. Victoriam demum, quod cætera volatilia vincere videatur. Cum enim robustioris animantis potentia se videt opprimi, tum sese in aère ita resupinans, ut unguis quidem sursum, pennas verò ac posteriores partes deorsum versas habeat; cum idem avis quæ cum eo congreditur efficere nequeat, ita facile eam in fugam vertit, ac sibi victoriam parat.

7. Quomodo animam indicant?

Quin & pro anima ponitur accipiter, juxta nominis interpretationem. Siquidem Aegyptiis accipiter baieth dicitur, quod nomen si divideris, animam & cor sanat: BAI enim anima, est, & ETH cor. Cor autem ex Aegyptiorum sententia, animæ ambitus est. Itaque * ex con.* *composita* significatione nomen hoc, animam cordatam notat. Unde & accipiter ob eum quem cum *rum nomē* anima habet naturæ consensum, aquam omnino non bibit, sed sanguinem, quo & ipsa nutritur *hoc* anima.

8. Quomodo Martem ac Venerem?

Martem vero & Venerem notantes, duos pingunt accipitres, eorum marem Marti, foeminam Veneri comparantes: idque propterea, quod ex cæteris animantibus foemina mari non ad omnem congressum obtemperat, ut in accipitrum genere, in quo etsi tricies in die foemina à mare comprimatur, ab eo digressa si in clamata fuerit, paret iterum. Ideoque & foeminam omnem, quæ viro morem gerit, Aegyptii Venerem vocant: Quæ vero non est dicto audiens, non ita appellant. Atque hæc sanè causa fuit, cur Soli accipitrem consecrarint: non secus enim ac Sol, ter denarium explet numerum in congressu foemina.

Aliter quoque Martem & Venerem scribentes, duas pingunt Cornices, ut marem ac foeminam: quoniam animal hoc gemina solet ova parere, ex quibus mas & foemina gignantur. Ubi verò, quod rarò tamen accidit, vel duo mascula, vel duo foeminea ova peperit, marès foeminis connubio juncti nunquam ad alteram divertunt cornicem, ac ne ipsa quidem foemina, quoad vivit, ad alterum marem: sed disjuncti, soli deinceps semper degunt. Unde & cum uni cornici occurrerint homines, augurantur præfagium sibi hoc esse viduæ vitæ, quòd scilicet animali viduam agentem vitam obvii facti fuerint. Proinde in hunc usque diem, Græci ob tantam harum avium concordiam, in nuptiis ignorantes verbum illud usurpare solent *ἐκκορῆ* nimirum *κορῆ* cornicem appellant.

9. Quomodo nuptias?

Atque eandem ob causam nuptias innuentes, duas rursus appingunt Cornices.

10. Quomodo unigenitum?

UNIGENITUM autem significantes, aut ortum, aut patrem, aut mundum, aut virum:

Scarabæum pingunt. Ac unigenitum quidem, quod per se gignatur hoc animal, utpote, in utero feminae non prius efformatum ac gestatum: ejus enim folius hujuscemodi ortus est. Cum mas sobolem procreare vult, bovis finum nactus, globulum ex eo ejusdem cum mundo figuræ fingit: quem ubi ab ortu in occasum averfis pedibus volutarit, ipse rursus, ut orti per similem figuram edat atque exprimat, in ortum convertitur. Ipse siquidem orbis à Subsolano circumagitur in Africum: At siderum contrarius est cursus, ab Africo ad Subsolanum. Hanc itaque pilam in terra defossam reponit in dies octo & viginti: nam & totidem diebus Luna duodecim Zodiaci signa perlustrat, sub qua toto illo tempore permanens animatur ac semen vitale suscipit. Scarabæorum genus. Nono autem & vicefimo die apertam pilam, in aquam conjicit (eum enim diem esse putat quo & Luna cum Sole congregiatur, & mundi insuper fiat generatio) quæ dum in aqua aperitur, prodeunt animalia, hoc est scarabæi. Ortum autem, propter jam dictam causam. Patrem, quod ex solo patre ortum habeat scarabæus. Mundum, quod ad mundi figuram ejus generatio ac fetus accedat. Virum denique, quod non sit in eorum genere femina. Sunt porro Scarabæorum formæ tres: Prima felium specie, ac velut radiis insignita, quam & Soli ob significationem quandam dicarunt. Ajunt enim selem marem juxta varium Solis habitum & cursum pupillas commutare, ad ortum quidem Solis manè nonnihil extendi, sub meridiem velut rotundas fieri; Sole ad occasum urgente, obtusiores obscurioresque apparere. Unde & quæ apud Heliopolim est DEI Solis inquam statua, felis speciem præ se fert. Habet autem Scarabæus omnis digitos triginta, idque in indicium 30. mensis dierum, quibus Sol oriens suum per singula Zodiaci signa cursum peragit. Alterum Scarabæorum genus bicornis est, & taurina specie: quod cum & Lunæ consecratum sit, inde etiam eum qui inter sidera relatus est taurum, hujuscæ deæ elevationem esse perhibent Ægyptiorum filii. Tertium unicomis est, & suæ peculiaris formæ, quod & Mercurio sacrum esse, ut etiam est Ibis avis, existimant.

II. Quid, Vulturem delineantes indicant?

Cæterum matrem significantes, aut aspectum, aut limitem, aut futurorum cognitionem, aut annum, aut cælum, aut misericordem, aut Minervam, aut Junonem, aut drachmas duas: vulturem pingunt. Matrem quidem, quod in hoc animantium genere mas non sit. Gignuntur autem hunc in modum: Cum * amore concipiendi vultur exarserit, vulvam illam ad Boream aperiens, ab eo velut comprimitur per dies quinque, quibus nec cibum, nec potum omninò capit, fetus procreationi intentus. Sunt porro & alia * vulturum genera, quæ ex vento concipiunt quidem, sed quoniam ova ad eum duntaxat (ipforum) non item ad fetum suscipiendum ac formandum sunt accommodata. At eorum vulturum, quorum non est subventaneus duntaxat & inefficax coitus, ova ad gignendum, tollendamque sobolem sunt imprimis idonea. Aspectum autem, quod ex omnibus animantibus perspicacissimi visus sit vultur, ut qui oriente quidem Sole in occasum, occidente verò in ortum prospicit, atque è satis longo intervallo quæ sibi usui sint, comparet edulia. Limitem, quod cum belli conficiendi tempus instat, locum ubi pugna committenda sit, septem antè diebus ad eum accedens præfinit & circumferibat. Præfagium vero, tum ob jam dictam causam, tum etiam, quod ad eam exercitus partem sese convertere soleat, ubi major sit futura clades, sibi ex cadaveribus alimentum seponens, ac in futurum providè reservans. Unde & præfici reges, exploratores mittebant per quos in utram aciei partem respexissent vultures, cognoscerent, indeque vincendos ac internecina strage delendos colligerent. Annum porro, quoniam animal hoc trecentos illos ac sexaginta quinque dies quibus completur annus, ita distribuit, ut centum quidem ac viginti diebus prægnans maneat, totidem pullos enutriat; reliquis verò centum ac quinquaginta sui curam gerat. neque uterum ferens, neque alendis addicta liberis, sed seipsam duntaxat ad aliam parans conceptionem. Quinque autem illos qui supersunt anni dies inventi, ut jam dictum

* *Ceylon*
Ald. men
dorè.
* *volucrum*
um.

dicitur est, compressionem & coitum insulmit. Misericordem autem, quod quibusdam alienissimum forsan videbitur, præsertim quum hoc animal infestissimo animo cætera persequatur, atque interimat. Sed ut hoc pictura vulturis innuerent, eo impulsus sunt; quod centum illis diebus, quibus suos educat, penè nunquam evolet, sed omnem curam ac sollicitudinem illis alendis adhibeat. Quod si eo tempore cibus non suppetat, quo eos sustentet, proprio execto femore sugendum eis exhibet & impertitur sanguinem, ut ne cibi penuria atque inedia conficiantur. Minervam ac Junonem, quoniam videtur apud Ægyptios Minerva quidem superius cœli hemisphærium occupasse, Juno verò inferius. Quæ & causa est, ut absurdum censeant cœlum masculino genere efferre: quippe cum & Solis & Lunæ cæterorumque siderum genitura in eo perfecta sit, qui nimirum feminae actus est. Quin & vulturum genus, ut jam exposui, sceminas tantum complectitur. Quam ob causam & cuius femine sexus animanti Ægyptii vulturem, ut in eo sexu principem ac primarium apponunt: ex quo & deam omnem, ne sigillatim unamquamque percurrens, prolixior sim, significant Ægyptii. Insuper & matrem innuere volentes, vulturem pingunt: est enim mater scemine nature. *ἡ πατὴρ* autem hoc est cœlum (neque enim placet ipsis, ut dixi masculino genere *ἡ γένον* [sed feminino] dicere) quoniam horum omnium generatio inde est. Duas denique drachmas, quod apud Ægyptios duæ lineæ unitas est. Unitas verò cujuslibet numeri ortus est ac principium. Optima itaque ratione duas drachmas indicare volentes, vulturem pingunt, quod generationis ipse sibi autor materq; ac principium, quemadmodum & unitas, esse videatur.

12. *Quomodo Vulcanum notant?*

AT Vulcanum indicantes, scarabæum & vulturem pingunt. Minervam verò, vulturem & scarabæum: * solis enim his, non etiam masculis, mundus videtur consistere. Vulturem autem Minervæ appingunt, quod hi soli ex diis apud ipsos mares sint simul ac sceminae.

* Ex mat-
sculo enim
& femineo
ipsis mun-
dum.

13. *Quid fidus pingentes, innuunt?*

DEum pulchrè ornatum significantes, aut fatum, aut quinarium numerum: fidus pingunt. Deum quidem: quod Dei providentia victoriam decernit atque imperat, qua & siderum orbisque universi motus peragitur. Existimant enim sine Deo nihil profus consistere. Fatum autem: quod ex siderum cursu ac dispensatione constituitur. Quinarium verò numerum: quoniam cum quam plurima atque adeo innumera sint in cœlo sidera, sola ex his quinque, motu suo orbis pulcherrimam efficiunt distributionem ac moderamen.

14. *Quid Cynocephalum pingentes demonstrant?*

UNam demonstrantes, aut terrarum orbem, aut literas, aut sacrificium, aut iram, aut natationem: Cynocephalum pingunt. Lunam quidem: propterea quod animal hoc consensum quemdam cum Deæ congressu, ex quo & affici soleat, habet. Ubi enim aliquanto tempore Luna cum Sole congregiendi, expertis luminis opacæq; permanet, tum mas quidem cynocephalus, nec quoquam intuetur, nec vescitur: sed demisso in terram vultu indignabundus, velut Lunæ raptum deplorans, tristatur. Femina verò, præterquam quod nusquam oculus contorquet, eademque cum mare patitur, insuper & genitali vase sanguinem mittit. Ideoque ad hæc usque tempora in sacris Cynocephali nutriuntur, ut ex ipsis, conjunctionis Solis & Lunæ tempus cognosci possit. Terrarum autem orbem: quoniam septuaginta duas inveniunt jam olim orbis habitati regiones fuisse. hos porò, si diligenter in sacris nutriantur & curentur, non sicut cætera animalia uno die emorjuntur, sic & ipsos emori: sed ipsorum partem quandam singulis diebus emorientem ac tabescentem à sacerdotibus humari, reliquo interim corpore in sua natura persistente, idque per septuaginta duos dies: quibus expletis, tunc profus interit. Literas, quia est (apud Ægyptios) cognatio quædam & genus cynocephalorum, qui * literas norunt. Quapropter ubi primum in sacram ædem ductus fuerit cynocephalus, tabellam ei sacerdos apponit, una cum scirpeo stilo ac atramento: nimirum ut periculum faciat, sit ne ex eo cynocephalorum genere, qui literarum gnari sunt: * pingit itaque in ea tabella literas. Præterea hoc animal Mercurio dicatum est, qui literarum omnium

* Ægyptia
literas.

* Et num li-
teras pin-
particeps
gat.

particeps est. Sacrificum verò: quòd natura cynocephalus ab esu piscis abhorret, quem tamen piscibus interim vesci contingat, legne tamen & torpori deditum animal non est, sicut & externi sacerdotes. Adde quòd circumcisus gignitur, quam quidem circumcisionem summo curant ac peragunt studio sacerdotes. Iram: quia hoc præter cætera animantia maximè iracundum est, & ad indignationem proclive. Natationem porro, quoniam cætera quidem animantia frequenter natatione fordes ac squalorem contrahunt: solum hoc ad eum quem influit locum nando pervenit, nec tamen illis à nativo colore transfertur aut inquinatur sordibus.

15. *Quomodo Luna exortum indicant?*

Lunam autem orientem indicare volentes, rursus Cynocephalum hoc habitu pingunt; stantem, manusque in cælum tollentem, ac regium in signe capite gestantem. Hac autem figura, ad Lunæ ortum demonstrandum, depingunt cynocephalum, quòd hoc habitu videatur cynocephalus deo congratulari; quod ambo, Sol inquam ac Luna, luminis participes sint.

16. *Quomodo æquinoctia duo?*

Rursum æquinoctia significantes, idem animal, Cynocephalum sedentem pingunt. Duobus enim anni æquinoctiis, duodecies in die per singulas nimirum horas urinam reddit, idemque & noctu facit. Unde non immerito suis hydrologiis Aegyptii cynocephalum sedentem insculpunt, è cuius membro aqua defluit: idque propterea, quod duo decim ut jam dixi, in quas æquinoctii tempore dies ac noctes ex æquo dividuntur, horas significat. Cæterum ne foramen illud acutè artificiosèque constructum, per quod in horologium aqua profluit & excernitur, aut latius sit, aut rursus arctius (utriusque enim magni refert, siquidem latius, quum magna celeritate aquam profundat, non rectè horæ modum ac dimensionem perficit: angustius autem paulatim ac lentius quam par sit, aquæ ductum laxat) remedium hoc excogitarunt, ut quicquid pilorum est, ad eandem usque abradentes, pro huius crassitudine ferream quandam fistulam in usum jam dictum fabricentur. Hoc autem ipsis visum est non absque ratione quadam, sicut nec in cæteris, facere, & quod etiam solus ex omnibus animantibus, æquinoctio duodecies in die per singulas horas adlatrat.

17. *Quomodo animum animivæ præstantiam innuunt?*

Animum autem volentes signare, Leonem pingunt. Caput enim magnum habet hoc animal, & pupillas quidem ignitas, faciem vero rotundam, & circumquaque radiorum more sparsos pilos ad Solis similitudinem, unde & sub folio hori, hoc est Solis, Leones supponunt, huius animalis cum Deo utpote Solis similitudinem maximam monstrantes. Dicitur autem apud eos Sol Horus, ex eo quod horis præsit,

18. *Quomodo robur notant?*

Robur notantes, Leonis anteriora membra pingunt, quod hæc ei ex toto corpore robustissima sint.

19. *Quomodo vigilantem commonstrant?*

Vigilantem autem sedulumque hominem, aut etiam custodem ostendentes, Leonis caput pingunt: quoniam Leo vigilans oculos claudit, eosdem cum dormit apertos habet; quod quidem custodiæ atque excubiæ signum est. Unde &, non absque significatione, sacrorum claustris, leones qui custodum loco sint, appinxerunt.

20. *Quomodo terribilem & formidandum?*

Eodem quoque, ut formidabilem notent, signo utuntur: quia quum viribus maximè pollet animal hoc, omnibus qui eum inspexerint metum injicit.

21. *Quomodo Nili ascensum & exundationem?*

Nili insuper inundationem significantes, quem Aegyptio nomine Nun quod si interpretaris, novum sonat, appellant, interim Leonem pingunt, interim tres magnas hydrias, interim verò cælum ac terram aquæ copiam scaturientem. Leonem quidem; quod cum Sol Leonem subit,

subit, ampliore Nilii facit inundationem. Quamdiu enim Sol in hoc signo persistit, sepe numero in duplum ipsius Nilii aqua excrefcit. Unde & tubos canalesque sacrorum fontium * solent ii qui ^{solent sunt} sacris præfunt operibus, Leonis figura fabricari. Quapropter in hodiernum usque diem, dum pro ^{ii qui ol m} immodica inundatione preces effundunt, Leonis signo uti solent. Tres autem hydrias, aut cælum & terram, quæ aquæ copiam scaturiat*, Nilum per similem facientes cordi linguâ prædito: Cordi ^{pingunt} quidem, quoniam princeps hæc & potissima apud ipsos habetur totius corporis pars, sicut & Nilus ^{hydriam} totius Ægypti dux est ac princeps. Linguæ autem, quod cum hæc perpetuo in humido esse gau- ^{similem} deat, insuper & ipsam genitricem causamque rerum status appellant. Tres porrò hydrias, & nec ^{faciens.} plures nec pauciores pingunt: quod triplex iuxta eorum sententiam sit inundationis causa esse cõrix. Unam quidem Ægyptiæ terræ adscribunt, quæ ex sese aquam producit: Alteram Oceano, ex quo inundationis temporè aqua in Ægyptum exæstuat: Tertiam imbribus, qui per id tempus quo intumescit Nilus, ad austrinas Æthiopiæ partes contingunt. Quòd autem Ægyptus ex sese aquam gignat: inde facile est deprehendere, quod cum in cæteris orbis tractibus hieme soleant exundare flumina, idque propter imbres copiosos & assiduos; sola Ægyptiorum regio, quoniam totius orbis velut umbilicus est ac mediâ, non secus ac in oculo pupilla, æstate sibi inundationes Nilii procreat.

22. *Quomodo Ægyptum designant?*

Ægyptum autem designantes, cõflagrantem accersam pingunt, & supernè Cor: illud innuente, quod quemadmodum Zelotypi cor in perpetuo aestu ac flamma est; sic Ægyptus, quia immodicè calet, continenter quæ in se sunt animat ac procreat.

23. *Quomodo hominem, qui è patria peregrè nunquam profectus sit.*

Hominem qui nunquam solo natali relicto peregrinatus fuerit; significantes, Onocephalum pingunt: quia nec ullam audit historiam, nec quæ apud exteras gentes fiunt, cognoscit.

24. *Quomodo tutelam ac presidium?*

Præsidium autem ac remedium innuere volentes, duo pingunt hominum capita, unum maris intro aspiciens, alterum sceminæ foras. Ita enim nullum dæmonem invadere posse asserunt. Sic enim & sine literis, duobus inquam capitibus sese ab omni discrimine & infidiis tuentur.

25. *Quomodo imperfectum adbus hominem, rudemque ac informem factum demonstrant?*

Hominem necdum omnibus in utero membris efformatum notantes, ranam pingunt: quod hæc eum ex limo fluminis procreetur, interdum altera quidem sui patre rana, altera terrestre quippiam videatur: adeò ut deficiente flumine, ipsa quoque deficiat.

26. *Quomodo apertum ac patens quippiam?*

Patulum autem quippiam significare volentes, leporem pingunt; quòd semper apertos habeat oculos hoc animalis genus.

27. *Quomodo sermonem?*

Sermonem porro designantes, linguam pingunt, subtasq; cruentum oculum: primas quidem sermonis partes linguæ, secundas verò oculis tribuentes. Sic etenim perfectè consistunt ipsius animi sermones, cum ad ejus motus sensaque accommodantur ac variantur: præsertim quum apud Ægyptios animus, alter sermo nominetur. Quin & aliter sermonem innuente, linguam subtasque manum pingunt: linguæ quidem, primas in loquendo adscribentes, manui verò, ut quæ linguæ placita exequatur, secundas partes.

* lingua
impedita
est.

AT silentium significantes. numerum 1095 pingunt, qui triennii numerus est, si ex trecentis sexaginta quinque diebus annus constituatur: intra quod tempus cum non loquatur puellus, indicatur eum eum *, etsi perpetuo linguam habuerit, vocem tamen ac loquelam defecisse.

29. Quomodo vocem remotam?

VOcem remotam volentes significare, quod Aegyptiis vae dicitur; fonitum pingunt aëris, hoc est tonitru, quo nihil quicquam majus aut vehementius resonat.

30. Quomodo antiquam originem?

ANtiquam originem notantes, papyri fasciculum pingunt, hoc primam indicantes educationem, cujus, sicut & geniturae, non facile quis initium invenerit.

31. Quomodo gustum.

Gustum innuentes, oris initium pingunt. Omnis enim gustus eo usque retinetur. Gustum autem perfectum intelligo. Nam ad innuendum gustum imperfectum, linguam admotam dentibus pingunt: his enim omnis absolvitur gustus.

32. Quomodo voluptatem?

Voluptatem demonstrare volentes, sedecim numerum pingunt: ab eo siquidem annorum numero incipiunt viri consuetudine capi mulierum, ac procreandae sobolis desiderio.

33. Quomodo concubitum?

Eundem numerum 16. geminum pingunt, ubi viri foeminaeque congressum significare volunt. Cum enim liberi, ut diximus, voluptate procreentur; congressus autem duplici constet, maris inquam ac foeminae, voluptate: propterea non immerito alia sedecim adscribunt.

34. Quomodo animam longo hic tempore agentem?

Animam quae diutissime in hac vita moram traxerit, aut etiam inundationem, commensurare volentes, Phoenicem avem pingunt. Animam quidem, quod omnium quae toto orbe sunt animalium, hoc maxime diuturnae vitae est. Inundationem verò, quod velut signum Solis sit Phoenix, quo nihil in orbe majus, cum omnia subeat, omnes scrutetur & disquirat. Atque adeo malis hoc est, multus vocitari solet.

35. Quomodo eum qui serò tandem è regione peregrina ad suos redeat?

Quin & eum innuentes, qui longo tempore peregrinatus tandem in solum natale remeet, rursus Phoenicem avem pingunt. Haec enim in Aegyptum, cum tempus mortis instat, quingentesimo demum anno regreditur: ubi si naturae debitum persolverit, magna solennitate ac ritu funeratur. Quaecunque enim in ceteris sacris animalibus religiose observant Aegyptii, ea & Phoenici tribui debent. fertur siquidem Sole magis apud Aegyptios gaudere, quam apud ceteras gentes: ideoque Nilum ipsis ex hujus Dei calore inundare, cujus rei paulò ante à nobis ratio reddita est.

36. Quomodo Cor pingunt?

Cor volentes indicare, Ibis pingunt, quod quidem animal Mercurio attributum ac dicatum est, ad similes est, de qua re plurimi apud Aegyptios agitantur sermones, Nam & Ibis per se ipsa magna ex parte cordis

37. Quomodo eruditionem ac doctrinam?

Doctrinam autem indicantes, caelum pingunt rorem fundens, innuentes: quod quemadmodum ros decidens, in omnes quidem plantas diffunditur, at eas duntaxat mollit, quae ejus natura sunt ut molliori possint, ceteras verò quae suapte natura durae sunt, non item: sic & doctrina commu-

niter ad omnes pertingit homines, quam quisquis felici natus est ingenio, ut rorem arripit; qui vero ingenii facultate destituitur, idem efficere non valet.

38. *Quomodo Aegyptiae literas?*

CAeterum Aegyptias literas, aut sacrum scribam, aut finem innuentes; atramentum, cribrum & junco pingunt. Aegyptias quidem literas, quod his omnis apud eos scriptura compleatur: junco enim, & non alio quopiam scribunt. Cribrum vero appingunt, quoniam hoc cum primum sit panis conficiendi instrumentum, ex junco fit. Innuunt itaque, cuicumque victus suppetit, eum literarum studiis animum adjuncturum, cui verò non suppetit, aliis vacaturum artibus. Unde & apud eos eruditio Sbo vocatur, quod nomen si interpreteris, plenum alimentum sonat. Sacrum autem scribam, quoniam hic vitam mortemque dignoscit. Nam est apud sacros scribas liber, sacram ambrem appellant, cujus ope judicium de aegroto decumbente ferunt, sit vitalis, nec ne, id ex aegri decubitu signis quibusdam perspicientes. Finem denique, quoniam qui literas didicit, ad tranquillum vitae portum pervenit, non jam vitae incommodis oberrans, aut fluctuans.

39. *Quomodo sacrum scribam?*

Rursum sacrum scribam, aut vatem; aut vespillonem, aut splenem, aut odoratum, aut risum, aut sternutationem, aut magistratum, aut judicem volentes signare; canem pingunt. Sacrum quidem scribam; quoniam cuicumque voluerit, ut par est, & absolutissime hoc fungi munere, eum oportet multa meditari, assidueque omnibus canum more allatrare, & ferum esse, nullique gratificari. Vatem autem, quod canis praeter caetera animantia fixis in deorum simulacra, non secus ac vates consuevere. intentisque prospiciat oculis. Sacrorum verò pollinctorem, quod & hic nuda & resecta, quibus iusta facit, simulacra contempletur. Splenem, quoniam hunc inter caetera animalia canis levissimum habet: & si ei mors siue rabies acciderit, ex splene id contingit. Enimvero & qui ejus funus procurant, ubi morituri sunt, magna ex parte splenetici fiunt. Siquidem gravi illo halitu & vapore qui ex inciso dissectoque cane provenit, inficiuntur. Odoratum porro, risum ac sternutamentum: quoniam qui absolute splenetici sunt, nec odorari possunt, nec ridere, neque etiam sternutare.

40. *Quomodo magistratum innuunt aut judicem?*

Magistratum vero aut judicem cum designant: appingunt cani & regiam vestem, nudae figurae appositam; propterea quod ut canis, quemadmodum supra dixi, in deorum simulacra acutissimis intuetur oculis: sic & magistratus, qui & iudex erat, vetustioribus temporibus, nudum regem spectabat. Ac propterea regiam cani praetextam adjiciunt.

41. *Quomodo significant eum qui sacrum pallium gestat?*

Significantes eum qui sacrum gestat pallium: domus custodem pingunt, quod ab eo sacrum custodiatur.

42. *Quomodo eum qui bonarum rationem observat, exprimunt?*

Horarum inspectorem demonstrantes, hominem pingunt horis vescentem, non quod horas homo comedat (id enim haudquaquam fieri potest) sed quod hominibus cibi statis horis parentur & apponantur.

43. *Quomodo puritatem innuunt?*

Puritatem notantes, ignem & aquam pingunt, quod his elementis omnis lustratio fiat, atque expiatio.

44. *Quomodo latenter rem nefandam atque abominandam indicant?*

Nefariam autem innuentes, aut etiam abominationem: pisces pingunt, quod horum esum, qui in sacris versantur, abhorreant atque execrentur. Est enim ejus naturae piscis omnis, ut quae offenderit exhauriat, inque suum ipse genus se viat.

45. *Quomodo os pingunt?*

OS significantes, serpentem pingunt, quoniam serpens in nullo alio membro valet, nisi ore.

46. *Quomodo fortem simul & temperantem?*

Fortitudinem cum temperantia conjunctam innuentes, taurum integra corporis constitutione præditum pingunt. Calidissimum enim est huic animali membrum, ita ut semel eo in feminæ vulvum immisso, vel absque ullo motu semen efficiat. Quod si quando à vulva vacce aberrans, in aliam corporis partem membrum intenderit, tum ejus immodica intentione vaccam vulnerat. Quin & temperans est: quippe cum nunquam post conceptum, vaccam ineat.

47. *Quomodo auditum?*

Auditum autem demonstrantes, tauri auriculam pingunt. Ubi enim concipiendi desiderio exardet ac stimulatur vacca (exardet autem non amplius quam per tres horas) tunc vehementer mugit: quo tempore nisi taurus accesserit, ad alium usque congressum vas genitale claudit: quod sane raro accidit. Audit enim protinus vel ex longissimo intervallo taurus, cumque eam intelligat venere excitari, mox accurrit: id quod soli huic ex omnibus animantibus, in congressu peculiare est.

48. *Quomodo penem fecundi & seminis abundantis hominis?*

AT vero penem fecundi hominis monstrantes; non jam taurum, sed hircum pingunt. Ille enim antequam annum attigerit, coire non solet: hic septem statim post ortum diebus congregitur, infecundum quidem & genituræ minimè accommodum semen excernens. Prius tamen ac celerius cæteris animantibus coit.

49. *Quomodo innuunt immunditiam?*

Porro impurum scelerumque notantes animum, Orygem pingunt, quoniam ad ortum accedente Luna, intentis in deam oculis prospiciens, vociferatur: non ei benè dicens, nec fausta acclamatione gratulationeve prosequens. Cujus rei argumentum est apertissimum, quod anterioribus cruribus terram effodiens, suas ipsius pupilles humi velut pingens defigit, quasi indigna bunda, invitaque deæ ortum aspiciens. Idem quoque in exortu * dei Solis inquam efficit. Quapropter antiqui reges, cum sibi ortum nunciaret horarum observator, huic insidentes animal, per medium ipsum velut Gnomones quosdam, ortus rationem ac tempus accurate certoque cognoscebant: unde & sacerdotes solam hanc inter volucres non signatam comedunt, quod similitatem quandam cum deâ exercere videatur. Etenim quemcunque in deserto locum aquis scatentem natæ fuerit, posteaquam biberit, labris turbat, lutumque aquæ commiscet, ac pedibus in eam pulverem conjicit: idque, ut nulli alii animanti aqua sit ad potum idonea. Adeo prava ac infecta putatur Orygis natura. Nam ne hoc quidem officium deæ præstat, quoniam ipsa omnia, quæ toto orbe sunt utilia, gignat, augeat, ac vegetet.

*Solis digni fuerit.

50. *Quomodo subversionem ac interitum?*

Interitum significantes, murem pingunt. Hic enim omnia corrodens inquinat, & inutilia facit. Eodem verò & signo utuntur, ut iudicium designent. Multis siquidem variisque apposis panibus, mus purissimum atque optimum dele&u habito rodit. Propterea & pistorum iudicium ex muribus sumitur.

51. *Quomodo impudentiam?*

Impudentiam notantes, muscam pinguet: quod hæc etsi crebrius abacta, nihilominus accedat.

52. *Quomodo cognitionem pingunt.*

Cognitionem pingentes, formicam pingunt. Si quid enim homo tuto occultarit, hæc cognoscit. Nec hoc solum nomine, sed & quod præter cætera animantia sibi in hyemen cibos congerens non aberat à loco ubi condidit, sed absque ullo errore ad ipsum pervenit.

53. *Leo.*

53. *Quomodo filium pingunt.*

Filium volentes significare, vulpanferem pingunt. Hoc enim animal maxime amans est liberorum. Si quando enim ipsum venator simul cum parvulis persequatur, eo usque ut capiatur, & pater & mater ultro se venatoribus dedunt, ut ferventur parvuli. Quam ob causam Ægyptiis placet ^{hoc animal colore} in hujus rei significationem hoc assumere animal.

54. *Quomodo amentem?*

Pelicanum autem pingentes, amentem simul ac imprudentem significant. Cum enim ceterarum volucrum more possit in locis editioribus ova reponere, id non facit: quin potius defossa terra, illic pullos collocat. Quod ubi deprehenderit homines, locum illum arido bovis stercore circumlinunt, cui & ignem subjiciunt. Pelicanus autem conspecto fumo, dum pennis suis ignem vult extinguere, e contrario earum agitatione accendit. Quo cum conflagrent ejus ala, facile ab aucupibus capitur. Quam ob causam non consentaneum existimarunt eo vesci sacerdotes, cum omnino pro liberis in discrimen sese conficiat. * Multi tamen ex Ægyptiis, eo vescuntur, ut qui eum ^{Reliqui.} dicant non judicio prudentia quadam, ut vulpanferes, sed benevolentia duntaxat & mira in solem pietate certamen hoc suscipere.

55. *Quomodo gratum indicant animum?*

Gratum indicantes animum, Cucupham pingunt, propterea quod solum hoc ex mutis animalibus, posteaquam ab ipsis educatum fuerit, iisdem senio contactis parem refert gratiam. Quo enim loco ab ipsis enutrita est, eodem nidum ipsis extruit, pennis eorum evulsis, cibumque subministrat, donec renatis plumis parentes sibi ipsi opem ferre queant. Unde & divinorum sceptrorum aucupha insigne atque ornamentum apud eos esse solet.

56. *Quomodo injustum & ingratum?*

Injustum vero atque ingratum, geminos equi fluvialis unguis deorsum vergentes pingunt. Hic enim cum ad aetatis florem pervenerit, cum patre pugnant periculum facit, an præpoleat. Et si quidem pater cesserit, locum ei assignans, ipse cum sua ipsius matre connubium contrahit, & eum finit vivere. Quod si non permittat pater eum matri jungi, ipsum, cum fortior sit ac robustior, interimit. Ceterum ideo geminos ejus unguis deorsum maxime inflexos pingunt, ut qui hoc vident homines, hujusque causam intelligunt, ad beneficentiam procliviores sint.

57. *Quomodo ingratum in bene de se meritos?*

Ingratum ac infestum iis a quibus beneficio affectus est significantes, columbam pingunt. Mas enim ubi robustior evaserit, ex consortio matris patrem expellit, itaque ei connubio jungitur. Purum autem hoc animal esse videtur. Siquidem aeris constitutio pestilens est, omniaque tam animata, quam inanimata, ea afficiuntur, quotquot hoc vescuntur animali, soli ab hac lue immunes servantur. Ideoque eo tempore regi in cibo sumendo nihil aliud præter columbas apponitur, idemque iis, qui quod Diis ministrant puri castique permanent. Traditur & hoc animal felle carere.

58. *Quomodo id quod fieri non potest?*

Quod fieri nequeat, pedes hominis in aqua obambulantes pingunt. Atque aliter idem significare volentes, hominem absque capite gradientem pingunt: quorum utrumque cum ex eorum numero sit, quæ fieri non possunt, merito ad hoc innuendum sumta sunt.

59. *Quomodo regem pessimum?*

Regem autem pessimum significantes, anguem pingunt in orbis figuram, cujus caudam ori admovent, nomen vero regis in media revolutione scribunt, obscure innuentes se regem pingere orbi imperitantem. Porro angui apud Ægyptios nomen est Meisi.

60. *Quomodo regem custodem?*

L 1 2

Aliter

ALiter quoque regem custodem signantes, anguem quidem vigilantem pingunt, sed pro regis nomine custodem adnectunt. Hic enim totius orbis custos est. Itaque regem assidue vigilantem esse oportere.

61. *Quomodo mundi notant dominum?*

Rurfus regem orbis moderatorem existimantes, & indicantes, ipsum quidem anguem pingunt, sed in ejus medio magnam domum effingunt ac representant: nec sane absque ratione. Regia enim domus quæ ab eo regitur in mundo est.

62. *Quomodo populum regi morigerum?*

Populum principalibus jussis obsequentem innuentes, apem pingunt. Solæ enim hæc ex omnium generum regem habent, quem reliqua apum multitudo sequatur, cuique non secus ac vulgus regi, obtemperet. Innuunt autem obscure, tum ex mellis insigni utilitate, tum ex vi quam in aculeo habet hoc animal, utilem simul ac potentem esse ad res gerendas regem.

63. *Quomodo regem parti orbis imperantem?*

Regem autem non toti orbi, sed parti duntaxat imperantem volentes significare, anguem dimidiatum pingunt, regem quidem per ipsum animal; non toti verò orbi imperantem, ex eo quod dimidiatus sit, designantes.

64. *Quomodo Latè rerum potentem?*

Omnia autem moderatorem ex ejusdem animalis perfectione significant, rursus integrum pingentes anguem. Sic & apud eos spiritus est, qui per universum orbem permeat.

65. *Quomodo fullorem?*

Fullonem indicantes, geminos hominis pedes in aqua pingunt: id quod ex Mercurii similitudine indicant.

66. *Quomodo mensem?*

Mensem autem exprimentes, Lunæ figuram eodem, qui supra expositus est habitu, pingunt: complectentem octo & viginti dies æquinoctiales duntaxat, die ex viginti quatuor horis constituto, quibus & exoritur in nostro apparens hemisphærio: reliquis verò duobus in occasu est.

68. *Quomodo rapacem, sæcundum, aut furentem?*

Cæterum rapacem, sæcundum, aut insanum volentes innuere; Crocodilum pingunt: quod sæcundum maxime sit hoc animal, multosque liberòs procreet, insuper & crebro in furem agatur. Ubi enim ab expedita præda exciderit, indignabundus in se ipse furit.

68. *Quomodo ortum?*

Ortum ostendentes, geminos Crocodili oculos pingunt: quoniam oculi huic animali veluti ex imo corpore emergunt.

69. *Quomodo occasum?*

At occasum signantes, Crocodilum inflexum ac cernuum pingunt. Ad partem enim facile, & ad Venerem maxime proclive est hoc animal.

70. *Quomodo tenebras adumbrant?*

Porro tenebras significantes, Crocodili caudam pingunt. Neque enim aliter ad exitum & interitum perducit Crocodilus quodcumque apprehenderit animal, nisi cauda prius castrum, invalidum reddiderit. Namque in hac corporis parte præcipua est Crocodili vis acrobatur. Cæterum cum quamplurima alia in Crocodilorum natura signa comperiantur, hæc quæ in primis ad tenebras conferre visum est, nunc satis erunt.

Finis prioris Libri.

HORA.